



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Augustini Barbosa ... Collectanea doctorum tam
veterum, quam recentiorum, in ius pontificium universum**

In Qvo Dvo Priores Decretalium Libri Continentvr

Barbosa, Agostinho

Lugduni, 1669

Sanctissimo Ac Beatissimo Patri Urbano VIII. Pont. Opt. Max. Avgvstinvs
Barbosa Lvsitanvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95263)



SANCTISSIMO
AC BEATISSIMO PATRI
VRBANO VIII.
PONT. OPT. MAX.
AVGVSTINVS BARBOSA
LVSITANVS.



T primum humane me Societati supplende natum agnoui, BEATISSIME PATER, ita mihi cum ea agendum intellexi, ne semper illi oneri tantum essem, & impedimento, nunquam leuamini, & adiuvento. Inde totum illius columen atque fulcimen ius esse intelligens, & leges, his quo enixius possem promouendis animum appuli. Quibus ut & melius proficerem, ab extremo Lusitaniae ad supremum Italiae, iam altero abhinc lustro me contuli, ut conceptos mihi in legali disciplina labores, in regione disciplinarum omnium, legumque magistra & duce absolutos, quasi in Orbis theatro ederem. Vbi iam ingenij excitandi gratia, & in maiorum moliminum preludia, Commentarium edidi primum de Particulis & Clausulis, mox crescente cum diebus animo, tractatum de Officio & potestate Episcopi tripartitum. Et iis operam non mihi omnino luisse monitus, maiora aggressus, Doctorum Collectanea in ius vniuersum iam diu meditatus, absoluenda excepi, XII. quidem Tomis concepta, ad totidem diei horarum obumbrationem, quibus vitae hominis vniuersa cursus est designatus; ut qui Reip. iuuande studio me totum addixi, toto me vitae meae tempore addictum significarem. Eorum priores duos, in Decretalium libris quinque prioribus occupatos, reliquorum è propria dignitate antesignanos, nunc emissurus, alio quam ad Sanctitatis tuae pedes mittendos non fuisse agnoui. Non tam quod rerum omnium primitias Sacerdoti afferre iussi à Deo finis; neu quod legum omnium specimina nosse Sacerdotis ius summum sit (tuum maximè, B. P. qui ad summum istum thronum, non aliunde quam ex omnimoda, & scientiarum cognitione, & legum vtrarumque peritia, assessum explanasti) quam quod Pontificia tractantem decreta, Pontificis quasi libertum operas meas nonnisi ad Pontificem profiteri oportebat, ut non tam quod meum videri poterat Sanctitati Tuae donare, quam quod suum erat restituere bona fide viderer, Iuris riuulos ad Iuris Oceanum declinando. Hos si tanta menti minus ingratos fuisse sensero, nedum ad alios celebrandos calcar mihi additum agnoscam, sed & vires ad expeditius absoluendos auctum iri sperabo. Ita Deus Sanctitatem Tuam ad Ecclesiae suae tutelam, diutissimè seruet incolumem, ut assumpto oneri succumbere non sinat tuum brachium cum potentia.

Vale.